

28X

Illustris Domine.

Nec thymus apibus nec ros cicadis gratior  
potest esse, quam fuit mihi thesaurus,  
ille quem misisti musicus. Est sua cuique  
Musa in doles. Gallica, hilarem jurat animum.  
Italica attollit devotum. Sed doctas aures  
ipsumque adeo artificem in sui admirationem  
rapit magis Aethylica, in cuius perpetuo mirabi-  
liq; figuratum contextu nescio quae arcana et  
artis lateat et dulcedinis. Quare hujus tantam  
tibi Illustris Dne esse copiam haud miror,  
cui et multorum colligendorum occasio fuit  
multa, et ex multis meliora seligendi exactissi-  
mum non defuit iudicium. Quod autem meam  
inde sublevare voluisti inopiam, summum est  
beneficium, quo ipso aliisque quam plurimis me  
ita obstrinxisti ut vel animam tibi debeam.  
Quod ergo ingenii debitoris est, utar re como-  
data bona fide, eamque integram nec deteriore

*[Faint, illegible handwriting on aged, yellowed paper, likely a letter or document fragment.]*

sine morâ longiori restituam tûm id maximè  
agam, ne Te ullius in me collati poeniteat  
beneficiis. Gratias autem quas eo nomine  
nunc ago maximas, coràm citiusq; cyberem  
nisi alia atq; alia intercessissent. Vale  
Illustris Domine, nobisq; porro fave et  
salve ab

Lugd. Bat. v. kal. Nov.  
MDCCLXXIV.

Illustris Nominis Tui

observantissimo  
Friderico Lotharino

Mijn Heer  
Mijn Heer de Heer  
van Zuilichem. p.  
Gravenhage